



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Thomæ A Kempis Canonici Regvlaris Ord. S. Avgvstini De Imitatione Christi Libri Qvatvor

Thomas <von Kempen>

Antverpiæ, 1617

Cap. LI. Quòd humilibus insistendum est operibus, cùm deficitur à summis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45760](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45760)

finas secundùm visionem oculorum exteriorum iudicare, neque secundùm auditum aurium hominum imperitorum sententiare: sed in iudicio vero, de visibilibus & spiritualibus discernere, atque super omnia voluntatem beneplaciti tui, semper inquirere.

8 Falluntur sæpè hominum sensus in iudicando: falluntur & amatores sæculi, visibilia tantummodò amando. Quid est homo inde melior, quia reputatur ab homine maior? Fallax fallacem, vanus vanum, cæcus cæcum, infirmus infirmum, decipit dum exaltat: & veraciter magis confundit, dum inaniter laudat. Nam quantum vnusquisque est in oculis tuis, tantum est, & non amplius, ait humilis sanctus Franciscus.

Bonau.  
in vita  
eius,  
cap. 6.

### CAP. LI.

*Quòd humilibus insistendum est operibus, cum deficitur à summis.*

**F**ILI, non vales semper in feruentiori desiderio virtutum stare, nec in altiori gradu contemplationis  
confi-



consistere: sed necesse habes interdum, ob originalem corruptelam, ad inferiora descendere: & onus corruptibilis vitæ, etiam inuitè, & cum tædio, portare. Quamdiu mortale corpus geris, tædium senties, & grauamen cordis. Oportet ergo sapè in carne, de carnis onere gemere: eò quòd non vales spiritualibus studiis, & diuinæ contemplationi indefinenter inhærere.

2 Tunc expedit tibi ad humilia & exteriora opera confugere, & in bonis actibus te recreare: aduentum meum & supernam visitationem, firma confidentia expectare: exilium tuum, & ariditatem mentis patienter sufferre, donec iterùm à me visiteris, & ab omnibus anxietatibus libereris. Nam faciam te laborum obliuisci, & interna quiete perfrui. Expandam coram te prata Scripturarum, vt dilatato corde, currere incipias viam mandatorum meorum. Et dices: Non sunt condignæ passiones huius temporis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.